



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magvntinensi Archiepiscopo apostolicæ sedis Legato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

gato nostris damus litteris in mandatis ut non procedat adversus eundem, sed inquisita super facto ipsius, de quo ei mandavimus, plenarie veritate, quicquid invenerit fideliter nobis scribere non postponat, ut circa ipsum secundum quod expedit procedamus, in quo tua non erimus deprecationis immemores; nisi forsitan ipse suis excessibus intercessoris affectum impediatur, & effectum intercessionis excludat. Datum Laterani 111. Non. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

MAGVNTINENSI ARCHIEPISCOPO  
apostolicæ sedis Legato.

Epist. 216.  
Et dat certa  
mandata.

**L**icet ad depositiones quorundam Episcoporum bono, sicut credimus, zelo processeris, quid tamen super iis secundum justitiæ regulam sentiamus per alia scripta nostra tibi directa percipere potuisti. Nuper autem per dilectum filium Othonem Decanum de Onoltisbach, virum providum & fidelem, litteras tuæ fraternitatis accepimus, & intelleximus inter alia quod super negotio Herbipolensis Ecclesiæ suggestisti. Quæ autem à nobis idem audient, ipsius poteris fidei relatione doceri. Ceterum cum disponente Domino simus in sede justitiæ constituti & omnibus in justitiâ debitores, negare non debemus alicui quod postulat ordo juris. Vnde si forsitan ille qui substitutus asseritur & qui dicitur destitutus de jure suo voluerint experiri, præfigas eis terminum competentem quo per se vel responsales idoneos nostro se conspectui repræsentent justum dante Domino recepturi iudicium. Datum Laterani 111. Non. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Vide lib. 16.  
epist. 50.

EPISCOPO ET DECANO  
& Cantori Parisiensibus.

Epist. 227  
De relaxando  
interdicto Capellæ regie.

**E**X litteris carissimi in Christo filij nostri Philippi illustris Regis Francorum accepimus quod venerabilis frater noster Aurelianensis Episcopus in Capellam regiam de Castro novo supra Ligerim pro suæ voluntatis arbitrio interdicti sententiam promulgavit, licet nec tempore inclytæ recordationis Ludovici patris ejusdem nec etiam suo fuerit ab aliquo attentatum ut si fortè Capellani regalium Capellarum excederent, ipsæ Capellæ subicerentur ecclesiastico interdicto, cum parochialia jura non habeant, & ministris ipsarum Rex ipse de proprio faciat necessaria ministrari. Vnde quod super hoc

Episcopus fecerat memoratus, per sedem apostolicam irritari petebat, & ei ne præsumat de cetero talia inhiberi. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo prædictam interdicti sententiam relaxetis; cum si forsitan Capellanus memorata Capellæ deliquerit, ut suum pœna teneret auctorem, non locus in Regis præjudicium, sed ille debuerit interdicti. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Tu denique, frater Episcopo, super te ipso &c. Datum Laterani 1 v. Kal. Februarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

SANCTI IOHANNIS  
Angeliensis & sancti Florentij Salernitanensis  
Abbatibus Xantonensis & Ardevenensis  
diocesum, & magistro Stephano Decano  
sancti Hilarij Pictavenfis.

**E**X litteris venerabilis fratris nostri Pictavenfis Episcopi nos accepisse notatis quod cum ipse Walterum Canonicum Pictavensem ad personatum Ecclesiæ de Airaon tunc vacantis præsentatum ab Abbatisa sanctæ crucis de Pictavi, quæ se in eadem jus patronatus habere dicebat, admittere noluisse, eo quod idem Walterus existens Talamundensis Decanus, Canonicus Engolismensis & Pictavenfis & sanctæ Mariæ Majoris de Pictavi, & pensionibus beneficiatus quamplurimis, aliam habebat Ecclesiam in diocesi Pictavenfi, & Abbatisa præfata infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum personam non curaverit idoneam præsentare, ac præsentando indignum, illa vice jus amiserit præsentandi, de prudentum virorum consilio Philippo pauperi Clerico nullum aliud habenti ecclesiasticum beneficium, quem bonæ indolis esse suis litteris describebat & per se ac suos valde utilem Ecclesiæ memorata, ipsius Ecclesiæ contulit personatum. Walterus verò prædictus ad sanctæ Radegundis & sancti Hilarij de Cella Priores & magistrum Stephanum Gaschet Canonicum sanctæ Mariæ majoris de Pictavi nostras litteras super eadem Ecclesia impetravit, quas procuratores Episcopi in modum exceptionis proposuerunt in eorum præsentia non valere, pro eo quod impetrata fuerant tali falsitate suggesta & tali veritate suppressa qua tacita vel expressa impetrari minimè potuissent. Asseruerat enim in sua narratione Walterus, quod dictam Ecclesiam fuerat canonicè affectus, cum non esset institutus per Episcopum, nec etiam præ-